



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXIII. Vtrum creatio sit pura relatio, an quid absolutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate seu incepti one.

CONCLUSIO est, Creatio in creatura nihil aliud est quam relatio quedam ipsius ad Deum, à quo pendet; sicut in passione, quæ est motus, est relatio quedam ad principium motus. Ea vero quæ in doctrina huius articuli notatione peculiari digna sunt disp. seq. afferemus.

DISPUTATIO CLXXXIII.

Vtrum creatio sit pura relatio, an quid absolutum.

Creationem esse influxum realem & absolutum Dei in creaturas, senserunt quidam recentiores. cap. 1.

Creationem esse solum relationem creaturæ ad creatorem, vera & communis opinio fuit. cap. 2.

Relationem creatoris soluaratione à re creata distingui. c. 3.
Diluuntur argumenta prioris sententia, cap. 4.

CAPVT I.

Creationem esse influxum realem, & absolutum Dei in creaturas, senserunt quidam recentiores.

DE natura creationis superest adhuc inuestigandum, vtrum ratio productionis, quæ est in creatione nihil aliud sit quam relatio quedam; an præter relationem cōtineat aliquid absolutum. Recentiores nonnulli Theologi dixerunt, creationem quidem non esse mutationem, proprie loquendo; in quo cum omnibus Scholasticis conueniunt; quia mutatio debet habere cōmune subiectum vtrique termino quod de vno termino transeat in alium. Addunt tamen primo, aliquid absolutum esse de ratione creationis, nempe influxum realem, quo creaturæ ex tēpore emanare dicuntur à Deo. Secundo in creatura esse actionem, & passionem creationis eodem modo quo in passio dicuntur esse actio, & passio, & ab ea non tantum rem denominari creatam, sed etiā Deum creatorem, & creantem; sicut à motu existente in mobili agens dicitur mouere & agere, atque mobili moueri & pati. Tertio denique, creationem vere esse de prædicamento actionis non minus, quam est calefactio, & quævis actio, quæ est motus. Esse autem aliquid absolutum de ratione huius productionis, quod cetera consequantur, probant primo, quia vel creatio actio est velle diuinum & intelligere, quibus Deus dicitur creare; vel respectus aliquis rationis: vel influxus realis in creaturā, à quo Deus etiam creans denominatur, & qui habeat rationē actionis. Non primum: quia velle, & intelligere, in Deo sunt principia creationis: eis enim tanquam forma & virtute Deus creat; ergo non sunt ipsa actio creandi. Veluti cum Angelus voluntate mouet lapidem, voluntas illius nō est motio, & actio, sed principium agendi: at motio & actio est in re, quæ mouetur. Neque potest esse secundum: quis enim dicat, actionem in Deo, esse respectum rationis? Erit igitur tertium, scilicet influxus realis in creaturā.

Hunc autem non esse ipsam relationem creaturæ, sed quia absolutum præuium relationi secundo probant, quia relatio producti in creatura, quæ est relatio creaturæ, est posterior creaturæ: sed creatio actio, est prior creaturæ: quia est via ad illam: ergo præter relationē est aliquid aliud, quod recte dicitur influxus & est quid absolutum.

ARTIC. III.

quod hac ratione tertio magis confirmant. Relatio creaturæ ad Deum, vt causam, est realis, vt omnes fatentur: ergo habet fundamentum aliquod reale ex ips, quæ Arist. assignauit 5. Metaph. 4. 15. aliud autem esse nequit, quam influxus & actionem habens absolutum: tum etiam quia creaturæ est de secundo genere: tum etiam quia vna relatio non potest esse fundamentum alterius relationis realis: debet igitur esse realis influxus absolutus. Quarto actio, & passio, vt peculiare constituent prædicamentum, non sunt relationes secundum esse, nec relationibus secundum esse essentialiter complentur: aliqui non essent in alio prædicamento quam relationis: sed creatio est in prædicamento actionis; ergo nec est relatio secundum esse, nec relatione completur.

CAPVT II.

Creationem esse solum relationem creaturæ ad creatorem vera & communis opinio fuit.

Verum ea, quæ diximus, nō sufficiunt, vt communem & antiquam Scholasticorum sententiam deseramus, qui affirmant, creationem nihil aliud esse secundum rem, præter relationem ipsam creaturæ pendens à creatore. Sic tradunt 5. 7. & Caiet. in præsentia ar. & alii recentiores, cum eis For. 2. cont. gent. 4. 26. & 18. Cap. in 2. dist. 1. q. 2. Ricard. 4. 1. q. 2. & 3. Dur. q. 2. nu. 19. & supponere videtur Scot. 4. 1. conuenit Greg. Arim. in 2. dist. q. 6. con. 2. 3. cū alio, creationem & conseruationem nō distinguit re creatā & cōseruata. Ratio vero est. Nam si actioni Greg. 2. deficit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse, quam pura relatio, nec alio modo à nobis explicari, aut etiam intelligi potest, quam conceptu solius relationis. Quod enim aduersarij asserunt, esse quendam influxum realem seu productionem, quæ est veluti via ad esse, non negamus. Ad hoc esse aliquid absolutum, vnde nam probare possunt? quinimo contra eos habemus efficac argumentum ductum ex diuinis processibus. Nam ut dixi in notationibus ar. 1. q. 4. 1. productiones diuinarum personarum nihil aliud sunt, quam relationes ipse personarum actiue quidem in personis producentibus, passiue vero in personis productis, ita vt generare, non sit aliud, quam paternitas alio modo cōcepta, & generari non sit nisi filio sub diuerso conceptu, nihilominus sunt veræ productiones, habentque veram rationem influxus actiui, & passiuī scilicet solum imperfectionibus rerum creaturarum, ergo eodem modo in creaturis potest intelligi vera ratio actionis, & passionis, atque influxus, etiam si re ipsa nō sit nisi relatio. An vero hoc genus actionis & passionis sit in prædicamento actionis & passionis, statim dicemus. De motu non disputo, an sit aliquid absolutum, præter relationem & terminum, nec enim ad nostrum institutum spectat.

Est autem discrimen inter actionem, & passionem, quæ sunt motus ex genere suo, ex vna parte, & inter actionem, & passionem, quæ ex genere suo non sunt motus, ex alia. Nam actio & passio, quæ sunt motus, sunt in passio; sed actio, quæ non est motus in agente, passio vero est in passio. Quo circa creatio actio, esset quidem in Deo creante, sicut etiam relatio creatoris, nisi alias ipse non esset capax alicuius relationis ex tēpore. At quia illam nequit recipere, creatione existente in crea-

tura denominatur creans & creator : cum tamen generans & pater denominetur prima persona à relatione existente in seipsa. Hæc omnia latius loco citato explicata sunt.

Nunc vero addo primum, actionem creationis non esse in prædicamento, non quia non habeat veram rationem productionis, aut quia non sit motus: sed quia actio prædicamenti debet esse non sola nostra, consideratione, sed reipsa accidens. Ut autem sic accidens debet reuera alicui substantiæ accidere: ad hoc vero necessarium est, à substantia ipsa distingui ex natura rei. Nam si idem sit cum illa, reuera ei non accidit, etiam si à nobis ad modum accidentis concipiatur. Cum ergo creatio non distingatur ex natura rei à re creata, ut mox dicemus: non erit vere accidens, nec in prædicamento actionis. Quia etiam ratione nec relatio, quæ est idem cum substantia, quæcunque illa sit, erit in prædicamento relationis: non quia prædicamenta omnia debeant distingui saltem formaliter ex natura rei; sufficit namque rationis distinctio: sed quia prædicamenta accidentium à substantia ex natura rei distingui debent ut vere sint accidentia. Ceterum si aliqua esset actio & passio: quæ non esset motus, nec mutatio nec tamen idem esset secundum rem cum substantia, qualis est illuminatio aeris simul cum corpore ipsius aeris incipiens esset in prædicamento actionis. Nihil enim videtur deesse, quo minus in eo prædicamento collocetur cum sit actus agentis & passus: ex quo etiam colligitur, rationem motus non pertinere ad prædicamentum, neque esse quid commune actioni, & passioni: non quia sit ens (ut aiunt Logici) incompletum & via: nam & actio quoque, & passio via est: sed quia potest esse actio & passio, quæ non sint motus, neque mutatio, ut in exemplo posito. Quare cum motus non sit quid commune his prædicamentis, nec sub aliquo illorum contineatur, non erit in aliquo prædicamento.

Deinde aduerte, cum omnis actio sit medium quoddam inter rem productam, & producentem quia est actus, quod produciens producit: creationem quoque esse medium inter Deum & creaturam productam. Cõsulto addidi productam: quia cum creatio sit finitæ essentia, & naturæ sub vniuersitate creaturæ quæ distinguitur à Deo continetur. At si de creaturis, quæ habent rationem termini producti, ut quod loquimur: recte comparatur creatio, ut mediæ actus, quo creatura produciatur: ipsa vero non dicitur produci, quia productio non produciatur. Quod id tamen non habet rationem Dei.

CAPVT III.

Relationem creationis sola ratione à re creata distingui.

Probabilior sententia est relationem creationis non distingui realiter à substantia creaturæ, ut optime conuincit Scotus quæst. illa 5. §. Ad questionem istam, hac ratione: quotiescunque relatio, & substantia seu absolutum ita se habent, ut vnum esse, non possunt distingui realiter, aut saltem nullam habemus argumentum ad probandam distinctionem realem inter eas: sed ita se habent creatio, & creatura, ergo non possumus asserere, ex natura rei distingui: & in vniuersum colligi non potest distinctio realis inter eas, quæ sunt in eodem subiecto & nec potentia absoluta separari possunt.

Quare falsum est quod docent Caiet in hoc art. Ferrar. & Capreol. locis allegatis, creationem distingui secundum rem à re creata. Ex quibus Caiet. supra q. 27. art. 2. & Ferrar. 4. contra gent. c. 14. vers. ad illas 12. Ferrar. tiones, existimant omnem relationem realem distingui ab absoluto, & à subiecto, in quo est. Eorum autem ratio communis hæc est, quia quodcumque genus accidentis distingui debet à substantia: tum etiam quia genus relationis est diuersum ab alijs generibus accidentis: ergo habet diuersum esse in.

Contra vero Henricus quodlibet. 9. quæst. 3. Maior in primis distinctio 30. quæst. 1. Marfilus in primis quæst. 3. artic. 2. conclus. 2. Soncinus lib. 5. Met. quæst. 28. Augustinus Niphus 5. Met. disput. 1. 2. cap. 4. & Canariensis su. Marfil. pra. artic. 2. quæst. 28. huius primæ partis, censent, omnem relationem idem esse reipsa cum aliquo absoluto, cui proxime inest. Melius tamen Scotus loco allegato in 3. distinctio 8. quæst. 1. §. Ad questionem & quodlibet 3. artic. 3. & Durand. in 1. distinctio 30. quæst. 2. nu. 14. affirmant non omnem relationem distingui realiter ab absoluto, sed eam tantum, quæ de potentia saltem absoluta Dei ab eo separari potest: quorum sententia nobis probatur. Nullum enim indicium habere possumus talis distinctionis, si reuera implicat contradictionem, separari vnum ab alio, vel contra, ut notauimus disput. 1. 16. cap. 5. cumque ita se habeant creatio, & res creata, idem de illis dicendum est. Porro autem, creationem à re creata, quam respicit ut terminum separari non posse, in formis quidem, & rebus per se subsistentibus natura sua, ut in spiritibus, & materia manifestum est: aut saltem fundamentum non habemus excogitandi varios modos creationis, quorum quilibet separari possit à re creata, hoc est, res creata possit vno vel alio modo creari: cumque tales res non possint à Deo non pendere per creationem, potius dicendum est, esse vnam creationem harum rerum, sine qua ipse esse non possint. Difficultas autem posset in istis formis quæ in subiecto, & extra subiectum: possunt produci: de his tamen cap. sequenti in fine dicemus. Cum vero Caietanus ait, ideo creationem à substantia distingui: quia creatio est accidens, cum sit relatio, & accidens à substantia distingui debet, supponit id, quod reuera probandum erat. Hæc enim relatio re ipsa non est accidens substantiæ, cum implicet contradictionem, substantiam sine illa esse, sed nostro modo concipiendi tantum ut accidens, apprehenditur, cum reuera substantia sit.

Ceterum Scotus in primis distinctio 1. quæst. 5. §. Secundum membrum, iuxta communem Scholæ suæ doctrinam addidit, creationem, & rem creatam distingui ex natura rei formaliter quemadmodum de attributis Dei, & de multis alijs rebus ipse philosophatur: distinctionem hanc colligit ipse in præfati, sicut inter plura alia, & variis enunciationibus. Multa enim enunciamus de creatione, quæ de re ipsa creata nequeunt prædicari. Hanc tamen rationem friuolam esse, satis ostendimus disput. 10. cap. 6. ubi nos monstrauimus, ob solam distinctionem rationis quæ in variis nominibus à nobis impositis continetur, contraria de eadem re, diuerso modo nominata, & concepta, enuncitari. Postremo ex dictis colligitur creationem non esse influxum realiter distinctum à re creata per modum viæ in prædicamento actionis.

nis: sic enim esset accidens distinctum ex natura rei ab ipsa re producta: cumque prius esset extra causas ordine reali naturæ quam res producta: deberet per illam prius habere subiectum; siquidem eius esse suapte natura est inesse alteri. Respondet aliqui, creationem habere quidem pro subiecto ipsam rem creatam, non cui inherere, sed cui adherere; & quamvis subiectum inhesionis alicuius accidentis videatur simul cum accidenti considerari, subiectum tamen adhesionis dicunt posse esse posterius. Porro discrimen inter subiectum adhesionis & inhesionis colligitur: quia diverso modo punctum est in linea, & pars in toto, & modus substantialis in re cuius est modus, quam sit accidens in subiecto. Verum hoc responsum frivolum videtur, & in primis distinctio illa in solis vocabulis ad eludendum consistit videtur: nam si vim vocis attendimus, non minus proprie dici potest albedo adherere parieti, quam inherere; & contra id minus proprie dici potest punctum inherere, quam adherere. Quod si in re ipsa est aliqua differentia, ea solum est in hoc, quod punctum in linea non est sicut accidens in substantia, sed sicut modus in re, & modus substantialis in substantia. Eodem ergo pacto cum creatio existentia aduersariorum sit vere accidentis: non minus quam cetera accidentia subiectum sibi postulat inhesionis. Cum igitur existentia accidentis suapte natura sit in alio, in eo priori naturæ, quo præcedit creatio rem creatam, debet habere aliquod subiectum: hac enim de causa disp. seq. probabimus, accidentia non creari: quia non possunt non fieri in subiecto, nisi quando à Deo separata re ipsa producuntur. Atqui creatio in illo priori non potest habere subiectum, ut patet, ergo non est accidens reale. Præterea cum accidentis esse pendeat à materia, ut à causa, non potest in aliquo reali priori, etiam natura, esse sine subiecto.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta prioris sententia.

11.
*Ad primum
prima.*

Argumenta vero prioris sententia ex his, quæ hæcenus dicta sunt facillime solvantur. Ad primum dicimus, creationem actionem non esse velle Dei, nec intelligere, hæc enim sunt principia creandi, non ipsa creatio: actionem vero creationem nullam aliam esse, quam relationem in re creatam: cum alias in creatante deberet esse, sicut origo actiua est in persona producente, & ab ea quæ est in creatura, Deum nominari agentem extrinsecam denominatione, quæ autem huius sit causa superius ostendimus. Porro non est difficile absque viâ in ipso Deo mutatione, nec relationis realis, nunc ab eo profluere aliquid per creationem, quod antea non emanabat, sola mutatione ipsius rei productæ. Ad secundum dico, eodem modo philosophandum esse nostro more intelligendi, de creatione actione, & passione, & de relatione creaturæ comparatis cum creatura producta, sicut de origine passiva, & relatione comparatis cum persona producta. Nam sicut solum nostro modo intelligendi origo actiua, & passiva præintelligitur ut viante personam, & deinde relatio, & persona, quæ per relationem constituitur, licet re idem sint relatio, & origo, ita etiam prius intelligimus, instar aliarum rerum, quæ paulatim fiunt, creaturam quasi in viâ fieri, & hæc est creatio respectu Dei, & passio respectu creaturæ productæ,

deinde intelligimus ipsam rem productam, & tandem relationem productæ & creaturæ in facto esse, eo quod non intelligimus eam ut proprietatem constituentem, sicut diuinam relationem respectu personæ. Hic autem ordo non est realis, nec durationis, nec naturæ, sed sola ratione, quia hæc omnia, quæ diximus, solo nostro modo concipiendi, & nominandi distinguuntur.

Ad tertium dicendum, relationem realem non ideo esse realem, quia realiter differat à fundamento, sed quia ex natura rei referatur ad aliud, id quod diuinis relationibus apparet, quæ vero reales sunt, & tamen nec ab eo, in quo fiunt, distinguuntur, nec à fundamento, ratione cuius cōtingere dicuntur, neque enim opus est, hæc duo à relatione distinguere, nec Aristoteles id docuit, sed 4. 5. Metaphyl. cap. 15. venumeret genera relationum, varias rationes assignauit, quas Philosophi fundamenta consueverunt appellare, cum tamen Arist. nunquam hoc nomine usus fuerit. Primum genus sumpsit secundum numerum, hoc est, secundum unitatem, vel pluralitatem in substantia, qualitate, aut quantitate, & interdum relatio non distinguitur realiter à substantia, qualitate, & quantitate, in qua fundatur. Dixi interdum, quando scilicet separari ab eis non potest, nec qualitas & quantitas à relatione. Nam quando hæc fundamenta manere possunt sine relatione, certum esse debet, distinguere relationem secundum rem à fundamento suo, sicut modus distinguitur à re, cuius est modus ut constat ex dictis supra disp. 1. 6. cap. 5. Secundum genus sumpsit secundum potentias, & earum actiones, & tamen relatio potentis, quæ sunt latet in potentia, non distinguitur realiter ab ea. Tertiū genus est eorum relationum, quæ solo nomine referuntur ad alia, quia alia ad ipsa referuntur realiter, quæ ad nostrum iudicium non spectant. Obiter tamen notare libet, hæc esse relata secundum dici, quia solo nomine relata sunt, non tamen re ipsa, ut recte obiectum Henrici quodlib. 2. quæst. 4. hæc autem & alia similia, quæ solo nomine referuntur, cum tamen re ipsa absoluta sunt, inquit Henricus, definita fuisse ab Aristot. in prædicam. cap. de relatione, priori definitione, quæ est initio capitis in hunc modum, *Ea dicuntur ad aliquid quæ id, quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, vibrantur definit relatum, per hoc quod est, dici ad aliud, nam postea in eodem capite, quod videret Arist. hanc definitionem non recte tradi de rebus quæ ponuntur in prædicamento, sed aliis etiam conuenire, alia adduxit eorum, quæ non solum dicuntur, sed reuera sunt ad aliud. Quæ talis est: *Ea sunt ad aliquid, quorum esse, idem est ei quod est, ad aliquid aliquo modo se habere.**

Bene video, non paucos Thomistas vocare relationem secundum dici eam, quæ est de essentia alicuius absoluti, qualis est in eorum sententia relatio potentis, etiam si talis relatio sit vere realis. Distingunt autem relationem realem in relationem secundum dici, & relationem secundum esse. Ego tamen ineptam existimo hanc distinctionem. Nam relatio realis non potest non esse relatio secundum esse, & secundum naturam. Præterea relatio, quæ est realis, non est relatio tantum secundum dici, quia non est tantum secundum fundamentum. Nec vero prædicta sententia, & diuisio fundamentum habet in doctore sancto: ille enim in 1. p. q. 13. art. 7.

art. 7. ad 1. solum dixit, nomina relatiua quædam
fuisse imposita ad significandas ipsas habitudines
relatiuas: vt dominus, pater, &c. & hæc inquit esse
relatiua secundum esse, hoc est, rem significatam
hoc nomine, nempe, dominum, patrem, &c. esse
relata secundum esse, quædam vero inquit im-
posita fuisse ad significandas res, quas consequuntur
relationes & habitudines: sicut mouens, motum,
caput, capitarum, & alia huiusmodi, quæ dicuntur
relatiua secundum dici, vbi S. Thom. non vocat i-
pfas relationes secundum dici, sed res ipsas abso-
lutas, quas consequitur habitudines, vocat relata
secundum dici, quia ex se non referuntur relati re
ipsa, licet habeant nomen, & fortassis illud, &
alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundum dici,
non referuntur ad omnia illa, quæ dixerat, nempe ad
mouens, & ad motum, sed ad caput, & capitarum.
15. Prædicti vero Thomistæ vocant relationem se-
cundum dici, etiam si ex natura rei, & nō solo no-
mine existat, & rebus conueniat, eam relationem,
quæ nō postulat, vt simul cum ipsa terminus eius
existat: sed ad rem non existentem refertur, qua-
liter refertur scientia ad scibile, quod nondum est.
Nam Arist. in prædicamentis, cap. de relatione
inter proprietates relatiui illius prædicamēti po-
tuit hanc, vt relata sint simul natura. Hoc tamen
fundamentum leue est, vt huiusmodi relatiua,
quæ referuntur ad rem nondum existentem, vo-
cemus relatiua secundum dici; quamvis dici pos-
sent relatiua, quæ non pertinent ad prædicamen-
tum reale: quia licet ad terminum non existen-
tem referantur; tamen re ipsa referuntur, & non
solo nomine dicuntur ad aliquid: cur ergo vocan-
da sunt relatiua secundum dici, siquidem non di-
cuntur prædicamentalia, sed relatiua, & reuera
relatiua sunt?

Adde, quod relatio, nem ad terminum non exi-
stentem, constituit, & numerat Aristoteles inter
relatiua prædicamenti ad aliquid 5. Metaph. cap.
15. nempe fictiuum id ad id, quod factibile, aut fa-
ciendum est: & in eodem capite inquit, scibile ex
eo fieri relata ad aliud, quia aliud, nempe scientia,
refertur, videlicet re ipsa, ad ipsum. Deum in
prædicamentis capite de relatione, cum adduxit
16. vt proprietatem relatiuorum vt si simul na-
tura, tandem, quia vidit multa relata referri ad
terminum non existentem, vt scientiam ad scibi-
le: non admittit hanc conditionem, tamquam ve-
ram proprietatem relatiuorum huius prædicamen-
ti: & unicam solum proprietatem veram huius
prædicamēti assignat vltimo loco, nempe vt non
contingat definire scire relatum, nisi sciatur etiam
id, ad quod refertur: quæ proprietas conuenit et-
iam relatis, quæ referuntur ad terminum non exi-
stentem: ac proinde hæc relata debent in hoc præ-
dicamento collocari: quia cui conuenit passio
quarto modo alicuius prædicamenti, conuenit
etiam essentia illius. Habemus igitur fundamen-
tum, quod est ratio, ex qua oritur relatio, ex natu-
ra rei ab ipsa relatione non semper distingui.

Ad quartum respondeo, primum, creationem
non esse in prædicamento actionis, vt cap. 2. no-
tati: & ideo parum refert, si idem omnino secun-
dum rem sit cum relatione creaturæ. Deinde di-
co, ad hoc vti si aliqua in diuersis prædicamētis,
fatis esse, si per rationem nostram distinguantur;
nec ad hoc esse necessariam distinctionem ex na-
tura rei inter illa, quare si alia deessent necessaria,
17. quæ in 1. p. som. 2.

vt creatio actio, esset in prædicamento, nihilo ob-
staret realis eius identitas cum relatione.

Nonnulli tamen recentiores, vt probent, crea-
tionem realiter distingui à re creatâ, sicut modus
distinguitur à re, cuius est modus, arguunt ex se-
paratione, ex qua recte colligitur hæc realis di-
stinctio, hoc modo: Quamuis res creatâ nequeat
esse sine creatione aliqua; sicut neque quantitas
sine vbi, quod est vnum ex 10. prædicamentis, ta-
men potest esse sine hac creatione determinate,
cum aliâ; sicut quantitas sine hoc, vbi, cum alio:
quod satis videtur, vt dicamus distingui, sicut mo-
dus distinguitur à re, & vbi à corpore, cui in hæret.
Pote autem creaturam esse sine hac creatione, sed
cum aliâ, & ita posse variari, creationem, colligere
quidem non possunt ex omnibus formis, quæ
creantur, nam in simplicibus, & in materia ipsa
non apparet hæc variatio creationis, vt ipsi inge-
nue fatentur; sed in formis, quæ si extra subie-
ctum producerentur à Deo, dicerentur creati, si
vero in subiecto producerentur, non crearentur,
sed generatione producerentur.

Quidam hoc argumento oppressi dixerunt, si-
ne in subiecto, siue extra subiectum, has formas
semper creati. Verum disputatione sequenti satis
superque ostendemus, formas, quæ suapte natura
per se subsistere nequeunt, cum in subiecto pro-
ducuntur, non posse creati. Respondeo igitur,
quamvis in formis, quæ natura sua postulant in
materia creati, & per se subsistere non possunt,
non sit eadem productio, quando per se produ-
cuntur, & quando in subiecto generantur: hinc
tamen nō licere colligere quamlibet formam per
se subsistentem, vt Angelum, & animam, posse va-
riis creationibus creati. In aliis namque formis
nondum probatum est, nec probari potest, vna &
alia creatione creati posse, sed tantum variis pro-
ductionibus posse produci: quia & ipsa variis mo-
dis esse potest, & per se, & in alio. Quando autem
per se producitur, cum semper eodem modo se
habeat, non est, vnde colligamus, posse produci
variis creationibus: si enim res ipsa producta, nec
secundum substantiam, nec secundum modum
variatur, nulla ratione colligere possumus, diuer-
sis creationibus posse creati. Quod vero eadem
forma diuerso modo se habet, nempe aut per se,
aut in alio, diuersis productionibus producatur,
quarum vna sit creatio: altera generatio, ipse di-
uersus modus existendi formæ postulare videtur.
Quare inde nō sequitur, in formis, quæ semper
eodem modo se habent, creationem distingui à re
creata: quia modo hac, modo illa creatione pro-
duci possent: nec id sequitur in formis, quæ diuerso
modo se habentes, diuerso quoque modo produ-
cuntur. Nam cum creantur semper eodem modo
se habent. Quare creatio earum non videtur ab
illis eo modo se habentibus posse separari.

Quod si ab eis separatur, & distinguitur realiter,
est ratione modi realis, qui in ipsis variatur; ratio-
ne cuius variationis eadem res à se ipsa distingui
potest realiter, vt sup. disp. monstrauimus.

Imo ex dictis, contra oppositam sententiam
realis ratio formari potest. Quando producitur
forma accidentaria extra subiectum, creatio illa
non potest separari à termino, nec terminus ab ea
creatione: ergo non est, cur dicamus, distingui
realiter. Porro autem terminum non posse sepa-
rari ab ea creatione, vel contra, sic probatur: For-

H h

ma

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, prima rerum creatarum est esse, ly esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum, quod est ens, non ex eo quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali, ut dictum est. Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur quod primum visibile est color quamuis illud, quod proprie videtur, sit coloratum.

Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis præexistentibus: sed compositum sic dicitur creati, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non probat quod sola materia creetur, sed quod materia non sit nisi ex creatione. Nam creatio est productio totius esse, & non solum materiæ.

CONCLUSIO est. Creatio proprie est substantium; forme vero quæ in alio natura sua necessario sunt, proprie non creantur, sed concreantur. Veritas huius conclusionis, & tota articuli materia sequi disputanda est.

DISPUTATIO CLXXIV.

An creatio sit tantum substantium.

Gratia & dona supernaturalia in nobis creati, multi Scholastici existimant. cap. 1.

Neque gratiam, nec ullam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati aut concreari auctoritate probatur. cap. 2.

Ratione confirmatur præcedens opinio. cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrina. cap. 4.

CAPVT I.

Gratia & dona supernaturalia in nobis creati, multi Scholastici existimant.

Tamet si certum sit apud Scholasticos, nullam formam naturalem, aut accidentariam, aut substantialem, quæ suapte natura, ut sit, pendet à materia, produci per creationem sibi propriam: de gratia tamen, & omnibus donis supernaturalibus omnes antiqui Scholastici, qui de hac re mentionem fecerunt, existimant, non alia productione sibi propria, quam creatione produci. Sic expresse docuerunt Alex. 2. p. q. 9. mem. 8. Bonauent. in 2. d. 26. art. 1. q. 4. & in 4. d. 1. art. 1. q. 4. Ricard. in 2. d. 26. art. 1. q. 2. & in 4. d. 1. art. 1. q. 2. Scotus in 4. d. 1. q. 5. Contra istam opinionem. Gabr. q. 1. art. 2. conclus. respons. ad argum. Capreol. in ead. d. 1. art. 2. in cens. in 4. q. 1. art. 2. Maior in 4. d. 1. in 4. argumento, 110. artic. 2. modum loquendi Caiet. sequi videatur. Dominicus Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 9. Vega lib. 7. super Concil. Trident. cap. 13. Ledesma 1. p. 4. q. 3. art. 1. Ferrarionis 4. contra gentes, cap. 57. quibus ex sequitur in 1. p. som. 2.

parte consentiunt Paludanus in 4. d. 1. q. 4. 1. n. 28. & Caiet. 1. 2. q. 1. 10. art. 1. circa solutionem tertij, & qu. 1. 12. artic. 1. cum asserunt, gratiam non creati, sed concreari, hoc est, non posse alia productione, quam creatione produci, aut comproduci: nam ceteri absolute affirmant, creati.

Fundamentum huius sententiæ, quatenus asserit, gratiam creati, est, quia à solo Deo producit, sicut anima rationalis, & ex nihilo; eo quod nec in homine merita præcedunt, nec vlla naturalis potentia ad talem formam, de qua dicitur educi, oppositum namque videbatur illis cum errore Pelagij conuenire; quocirca pro eodem reputant, gratiam esse qualitatem à solo Deo infusam, & ab ipso creatam. Adde loca Scripturæ, quibus homo dicitur creati in gratia, quæ retulimus quæst. 173. c. 1. Caiet. vero & Palud. cum viderent, ex sententia Sancti Thomæ in hoc art. 4. creationem solum esse substantium, dixerunt gratiam non creati, sed concreari: hominem autem gratiam creati: id quod hac ratione probabile sit: Quamuis productioni gratiæ supponatur anima & homo, qui sit gratus; qui tamen id, quod gratiam ipsam præcedit, & ei ut subiectum comparatur, secundum se totum à Deo continuo conseruatur, quod est creati: continua enim totius esse conseruatio, productio quædam de nihilo est, ac proinde creatio: ideo totus homo gratus creatur, & gratia cum illo, quod appellant Caiet. & Palud. gratiam concreari: veluti si equus crearetur, anima illius concreari, non autem creati diceretur: tum etiam cum Angelus in primo instanti secundum substantiam, & in gratia productus fuit, gratia illius fuit concreata simul cum natura: ut autem nunc etiam dicatur in anima gratia concreari, nihil ob stare videtur, quod anima tempore præcesserit: quia continuo à Deo ex nihilo producit eodem modo, quo in primo instanti. Si ergo in primo illo instanti gratia crearetur, nunc etiam quocumque tempore creati diceretur.

CAPVT II.

Neque gratiam, nec vnam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati aut concreari auctoritate probatur.

Si recte inspiciamus definitionem creationis Prima conclusio. disp. 173. à nobis explicatam, facile conicere licebit, multo esse probabiliorē oppositam opinionem, quæ vniuersim adstruit, neque gratiam, nec ullam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati, aut concreari: sed peculiari actione educi de potentia materiæ. Id quod non solum verum existimo, quoties gratia posterius tempore, quam subiectum, incipit esse, vtrum etiā quando simul cum alio incipit. Quod attinet ad alias formas, præter gratiam nullam apud Scholasticos mentionem inuenio: sed ex ipsa natura, & definitione creationis id, quod dixi, sequenti cap. confirmabo. Quod vero spectat ad gratiam, & dona supernaturalia, auctoritate S. Th. eam non creati, probatur.

Primum quia 1. 2. quæst. 1. 10. artic. 2. ad tertium docet, nullum accidens proprie corrumpi, vel fieri; quia non est ens, sed entis ens: sed fieri, aut corrumpi, secundum quod subiectum incipit, vel desinit.

h. 2.

finis